

tius videretur carere potentia ad concurrendum cum humana voluntate salva ejus libertate: deinde, quia majoris est sapientiæ et potentiæ omnia ita disponere, ut infallibiliter ita fiant, sicut per divinam providentiam disposita sunt, et tamen quod libere fiant, quæ per voluntatem rationalem facienda sunt: hoc autem esse possibile Deo, supposita infinita ejus scientia et potentia, non esset difficile ostendere, sed id spectat ad materiam de providentia, et de gratia. Omitto esse contra divinam bonitatem inclinare, seu determinare humanam voluntatem ad malum, seu peccatum, quod etiam prædictus error consequenter asserit.

8. *Tertius error tollens libertatem ob appetitum sensitivum.*—Tertio erratum est circa hanc libertatem hominis, tribuendo necessitatem non causis extrinsecis, sed intrinsecis, non ex parte animæ, sed ex parte corporis, ita ut corpus passibile, et subjectum fomiti, et inordinatis affectibus appetitus sensitivi necessitatem voluntati imponat, nec relinquat illam libere operari. Juxta quem dicendi modum non negatur simpliciter voluntatem secundum se esse liberam, seu capacem liberæ actionis, nam si esset separata a corpore, vel si in ipso corpore haberet corpus ipsum sibi omnino subjectum, posset uti suo dominio et libertate, a qua tamen impeditur ratione talis corporis. Hic videtur esse sensus hæreticorum hujus temporis, qui dicunt hominem in statu innocentie habuisse usum liberi arbitrii, per peccatum tamen illum amisisse, ita ut jam non sit liber, sed servus peccati, ut late Roffensius, art. 7, contra Lutherum et alii recentiores. Afferunt tamen hi hæretici plura ex sacris Scripturis, et præcipue ex Augustino, quorum intelligentiam infra breviter indicabo. Rationem vero nullam afferunt, quia revera est omnino irrationabilis error, nam si corpus passibile, et affectus appetitus quantumvis inordinati, non auferunt usum rationis, neque etiam auferre poterunt rationem liberi arbitrii, si rationabilis voluntas ex se, et natura sua libera est, quia appetitus non influit directe in voluntatem, neque illam physice movet, aut determinat, ut tractat divus Thomas, 1, 2, quæstion. nona et decima, et in quæstion. 99, et ex ipsa experientia constat esse in potestate hominis non consentire concupiscentiæ et motioni ejus, et in sacra Scriptura nihil est frequentius, ut infra citabimus, a n. 11.

9. *Quartus error tollens libertatem ex ipsa natura potentiarum animæ.*—Arguitur pro hoc errore quoad intellectum.—Quartus modus

asserendi hanc necessitatem fundatur in intrinseca natura ipsarum potentiarum hominis, quia nimirum omnes sunt determinatæ ad unum, etiam supremæ, quales sunt intellectus et voluntas. De intellectu id facile probatur, nam quoad specificationem determinatus est ad assentiendum vero, et dissentiendum falso, nec potest aliter ferre judicium; quoad exercitium vero, aut determinatur a natura ipsa convictus evidentia veritatis, aut si hoc modo non determinatur, non potest seipsum determinare ad actum, sed indiget extrinseco momente determinante. Cujus ratio est, quia omnis determinatio ad operandum necessario esse debet, aut naturalis ex solo impetu naturæ, aut voluntaria ex inclinatione elicitæ operantis: omnis enim operans, aut operatur præcise, quia est talis naturæ, aut quia vult, et appetit operationem; actus autem intellectus non est per se, et intrinsece voluntarius, quia hoc est proprium actionis appetitivæ virtutis: ergo si talis actus intellectus non est mere naturalis et necessarius, oportet, ut sit voluntarius, non per seipsum, sed per determinationem ab actu alterius potentiæ: ergo necesse est ut ab illa determinetur ad talem actum, et non a se. Et hæc, ut existimo, est ratio a priori, ob quam intellectus non potest esse potentia formaliter libera.

10. *Arguitur quoad voluntatem.*—Rursus voluntas necessario sequitur definitum judicium intellectus; ergo neque etiam ipsa est potentia libera; sed determinata ad unum: ergo in illa potentia nulla est actio libera. Assumptum declaratur, quia voluntas est potentia rationalis, unde necessario sequitur ductum rationis, nam sicut non potest ferri nisi in cognitum per intellectum, ita non potest ferri aliter quam judicatum est. Et ideo docent morales philosophi et theologo, non posse esse defectum in voluntate, quin prius sit in intellectu, nam si intellectus prius recte proponat et judicet, non potest voluntas non recte eligere: ergo signum est voluntatem necessario sequi judicium rationis: quod si interdum videtur non ita facere, ideo est, quia intellectus non recte judicat, nec satis considerat omnia, quæ necessaria sunt ad movendam voluntatem. Et hinc obiter videntur enervari rationes multæ, et signa libertatis, quæ afferri solent, quales sunt correctiones, reprehensiones, consilium, punitio, et hujusmodi. Nam hæc quidem (inquiunt) viderentur superflua si homo non esset liber, nam ex his solum concludi videtur hominem esse ratio-

nalem, et hæc omnia deservire, ut recte judicet, et apprehendat, quid bonum sit, et agendum; nam hoc posito statim sequitur voluntas. Si ergo applicato objecto, et medio sufficiente intellectus necessario judicat, et voluntas necessario sequitur intellectum recte judicantem, nullibi est vera libertas. Quam difficultatem late Buridanus, 3, Ethic., quæst. 1, tractat, ubi propter eam indicat libertatem arbitrii non posse ratione naturali constare: in quam sententiam citatur etiam Andreas de Novo Castro in 1, dist. 45.

11. *Assertio affirmativa et de fide, de qua vide etiam prologom. 4, de Grat., cap. 7.*—Dicendum est autem in humanis actionibus reperiri liberum non tantum coactioni, sed etiam necessitati oppositum, de cujus ratione est, ut includat indifferentiam, seu potestatem agendi et non agendi, seu agendi hoc, aut contrarium. Hæc est veritas fidei, quæ ex variis locis sacre Scripturæ aperte colligitur. Clariora sunt illa, in quibus tribuitur homini optio, seu electio, ut Deut. 30: *Testes invoco cælum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, maledictionem et benedictionem: elige ergo, etc.*, similia habentur Josue 24: *Optio vobis datur eligere, quod placet.* Eccles. 24: *Apposui tibi ignem et aquam, ad quod volueris extende manum: quæ verba tractans Augustinus, lib. de Gratia et libero Arbitrio, c. 12: Ecce, inquit, apertissime videmus expressum nostræ libertatis arbitrium.* Videri etiam possunt alia testimonia apud eundem Augustinum, libro de Gratia et libero Arbitrio, a cap. 2, et apud Cyprianum, 3, ad Quirinum, cap. 52. Faciunt etiam illa testimonia, in quibus tribuitur homini dominium suarum actionum, Genes. 4: *Subter te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius: quem locum ad rem præsentem optime declarat Prosper, 2, de Vocat. Gent., cap. 4, hinc etiam illud Eccles. 31: Qui potuit transgredi, et non est transgressus, ideo stabilita sunt bona illius in Domino: non esset enim dignus laude, vel præmio, nisi libere id fecisset: et ideo dicitur Prov. 4: Rectos cursus fac pedibus tuis: ut bene declarat Augustinus. Denique 4 Reg., 12, et n. 30, fit expressa mentio liberi arbitrii humani, et frequentia sunt hujusmodi testimonia in sacra Scriptura.*

12. Secundo afferri possunt varia signa libertatis ex sacra Scriptura et Patribus desumpta. Primum est potestas dominandi, juxta illud Gen. 1: *Faciamus hominem ad imaginem, etc., ut præsit, etc.*, nam qui non est dominus suarum actionum, multo minus esse potest alia-

rum rerum: unde sancti Patres communiter exponunt hominem esse ad imaginem Dei ratione liberi arbitrii. Secundum est potestas peccandi, quæ neque intelligi potest sine libertate, non tantum coactionem, sed necessitatem absolutam excludente, ut late Augustinus, de vera et falsa Religione, cap. 14, Prosper, lib. 2, de Vocat. Gent., cap. 14, Justinus, q. 88, ad Gent., ubi libertatem dicit esse ponendam in definitione peccati, Clemens Alexandrinus, lib. 2, Strom.: *Libera electio peccatum inchoat*, Basilius, homil. 9, *quod Deus non sit auctor malorum*; hac enim potissimum de causa peccatum non refunditur in auctorem naturæ, quia non ex necessitate naturæ oritur, sed ex libertate voluntatis. Tertium signum huic simile est præceptum, nam, ut ait Augustinus de Grat. et lib. Arbitr., cap. 2: *Quomodo posset Deus prohibere ne velimus, aut præcipere, ut velimus, si ad volendum necessitamur?* et epist. 46: *Eo ipso quod præceptum est, obedientiam nostram requirit, quæ nulla esse potest sine libero arbitrio.* Similia legi possunt in Athanasio, lib. de Incarnat. Verbi, Origene, homil. 12, in Numer. Quartum signum est reprehensio pœnæ non tantum ad terrorem, vel emendationem futurorum, sed etiam per se in vindictam mali commissi. Ac denique divinum judicium de humanis operibus, nam, ut eleganter Augustinus, epist. 46: *Si non est Dei gratia, quomodo Deus salvat mundum; et si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Vide Prosperum et Justinum, quæst. 9, Eusebium, 6 de Præp., cap. 5, et lib. 1, Demonstrat., cap. 9, et lib. 4, cap. 1, et sequentibus, Irenæum, 4, cont. Hæres., cap. 9 et 29, Cyrillum Hierosolymitanum, 5, catech. 4, Origenem, hom. 20, in Num. Dionysius, 4, cap. de Divin. nom., in fine, ait: *Sed dicit quispiam infirmitati supplicium non deberi, sed veniam: si non suppeteret potestas, recte se haberet oratio.*

13. Tertio principaliter addere possumus testimonia Patrum, ex quibus constat hanc fuisse perpetuam traditionem et consensum Ecclesiæ. Sed quia hujusmodi testimonia sunt frequentia et vulgaria, solum designabo loca, scilicet in Clemente Romano, epist. 3, Decretali, et Dionysio, de Eccles. Hierarch., cap. 2, p. 3, Justino, dialog. 9, cum Triphone, satis post medium, quæst. 8, ad Orhod., Lactantio, 4, de Sapient., cap. 11, Athanasio, orat. cont. idola, Cypriano, epist. 18, libr. de Unit. Eccl., Nysseno, toto lib. 7 suæ Philosophiæ, Nazianzeno, orat. 1, 38 et 42, Damasceno, lib. 2, de

Fide, cap. 16, Ambrosio, lib. 2, de Fide ad Grat., cap. 3, Hieronymo, epist. ad Damasc. de Filio prodigo, Augustino, præter loca citata 1, Retract., cap. 9 et 16.

14. Quarto accedit definitio Ecclesiæ. Nam Concilium Bracharense supra citatum: Concilia item contra Pelagianos congregata, veritatem hanc vel definiunt, vel aperte supponunt. Pelagius enim non solum liberum arbitrium cognoscebat, verum illi soli tribuebat bona opera hominis, et initium salutis. Concilia vero admittunt liberum arbitrium operari in homine, divina tamen gratia excitatum et adjutum; Celestinus papa, epist. 1 ad Episcopos Galliæ, cap. 14 et 15. Expressius hoc tradidit et definiit Tridentinum, sess. 6, et Pius V, et Gregorius XIII, in bullis contra Michaellem Baïum hanc damnant propositionem, *quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere fit*; in quo docent esse in homine libertatem non solum excludentem coactionem, quæ voluntario opponitur, sed etiam necessitatem simpliciter, quæ absolute tollat potestatem agendi et non agendi. Ultimo uti possumus rationibus, quæ peti possunt partim ex dictis inter referendos errores, partim ex iis quæ dicemus.

15. *Si homo non esset natura sua liber, non posset elevari ad libere operandum.*—Ex hac veritate sequitur primo, facultatem libere operandi esse intrinsicam homini, et connaturalem illi. Itaque quod homo libere operetur, non est aliquid extrinsece superadditum homini miraculose, aut per supernaturalia dona infusa, sed est intrinseca proprietas suæ naturæ. Hoc constat ex dictis, nam quod homo sit ad imaginem Dei, et capax domini, naturale est ipsi, et ideo etiam si privetur omnibus supernaturalibus donis, perseverat in illo quod sit ad imaginem Dei. Similiter potestas peccandi ex intrinseca infirmitate naturæ oritur. Denique quod homo sit rationalis, naturale est ipsi. Ex hoc autem præcise oritur, quod sit liberi arbitrii, nam hæc libertas oritur ex ratione, ut communiter dicitur, id est, ex eo quod ratio potest universalem rationem boni et mali attingere, et in unoquoque objecto cognoscere quid bonitatis aut malitiæ habeat, et quam connexionem habeat, vel cum fine intento, vel cum hominis natura ponderare: hoc autem totum naturale est homini saltem in iis rebus, quæ lumine naturæ cognoscuntur. Unde addo ulterius fieri non potuisse, ut homo elevaretur ad libere operandum, nisi ex sua natura haberet aliquam facultatem liberam, quia si omnis potentia humana natura sua

esset determinata ad unum, neque posset extra illud versari, quia non potest ferri extra suum objectum, neque posset ipsa ex se suspendere suum actum, quia non posset naturam suam mutare, neque contra suam naturalem inclinationem operari.

16. Dices: Potest Deus efficere, ut potentia natura sua libera necessario operetur etiam in iis, in quibus est de se libera: ergo etiam potest facere, ut potentia ex natura sua determinata ad necessariam operationem operetur libere, et cum indifferentia. Respondetur negando consequentiam, nam quando potentia libera necessitatur ad operandum, non mutatur intrinsece natura ejus, quasi in actu primo (ut sic dicam), semper enim manet de se libera, et indifferens ad illum actum, et objectum, impeditur tamen ne in actu secundo utatur illa libertate. At vero si potentia necessaria libere esset operatura, oporteret ipsam in se quoad actum primum immutari, quia non potest intelligi, ut potentia, quæ natura sua habet intrinsicam impotentiam ad suspendendum suum actum per se ipsam intrinsicè, et voluntarie recipiat contrariam potestatem, quæ ad libertatem requiritur absque interna mutatione ipsius potentiæ: quomodo enim potentia manens determinata ad unum, erit simul indifferens respectu ejusdem actus, præsertim cum hæc indifferentia magis consistat in aptitudine, et potestate ipsius potentiæ, quam in aliqua intrinseca potestate ipsius actus liberi, ut infra. Denique necessitas potest provenire ab extrinseco, neque ex se aliud postulat, et ideo nihil obstat quominus potentia ab intrinseco libera, extrinsecus necessitetur; at vero libertas debet esse ab intrinseco, et ideo si non oriatur ex interna facultate ipsius potentiæ, fieri non potest ut ab extrinseco proveniat.

17. Sed contra, nam ad actus supernaturales non habet homo naturalem libertatem, cum non habeat naturalem potestatem, et tamen per gratiam, et supernaturaliter accipere potest liberam facultatem illos operandi. Rursus e contrario homo videns Deum necessitatur ad amandum ipsum, et tamen supernaturaliter fieri potest, ut ille amor sit liber, si homo accipiat supernaturalem potestatem ad suspendendum illum actum.

18. Respondeo ad priorem partem, voluntatem hominis ex solis viribus naturæ non habere completam libertatem circa actus supernaturales, ut argumentum probat, habere tamen libertatem (ut sic dicam) inchoatam,

seu fundamentum completæ libertatis, quod habere non posset, nisi ipsa esset natura sua libera. Quod ita declaro, nam ex duobus, quæ ad libertatem requiruntur, quæ sunt potestas agendi et non agendi, hoc secundum potest voluntas ex se circa actus supernaturales, quia licet non possit eos efficere sine auxilio gratiæ, potest tamen omittere et suspendere, quia ad hoc non postulat supernaturales vires, hoc autem non posset nisi natura sua esset domina suorum actuum. Circa alterum vero, scilicet potestatem agendi, non habet ex se completas vires, habet tamen capacitatem obedientialem passivam et activam, ut possit elevari ad illos actus, quæ fundatur in universali capacitate voluntatis, qua tendere potest in bonum, ut sic, inde enim fit, ut possit elevari ad amandum libere omne bonum, quod ex se non necessitat voluntatem, quia hæc libertas, ut supra dixi, oritur ex facultate rationis ponderantis in quolibet objecto propriam rationem boni, quod etiam servatur in objectis supernaturalibus, quando voluntas elevatur ad operandum circa illa; nam tunc etiam illa ducitur ratione suo etiam modo elevata, et cognoscente supernaturalia objecta.

19. Ad alteram partem respondetur nunquam posse fieri, ut amor Dei clare visi sit in se intrinsicè, ac formaliter liber, quia non potest voluntas per intrinsicam ac voluntariam suspensionem talis actus illo carere, sed ad summum fieri potest quod Deo suspendente concursus voluntas careat illo actu, et consequenter etiam fieri potest, ut quoties homo velit, Deus suspendat illum concursus: si tamen homo videns Deum possit habere talem voluntatem sub aliqua ratione boni, tunc carentia, vel suspensio talis amoris esset libera, non per se ipsam, sed per denominationem ab alia voluntate libera, quæ necessario supponit facultatem natura sua liberam a qua procedat: et hoc modo non repugnat actum natura sua necessarium fieri liberum per denominationem extrinsecam, et subordinationem ad potentiam liberam. Sic enim etiam nutritio, quæ ex se necessaria est, potest a Deo constitui sub dominio voluntatis: nos autem agemus de actu libero ex se per immediatam habitudinem ad potentiam elicentem.

20. Secundo sequitur ex dictis per peccatum originale non esse amissam naturalem facultatem liberi arbitrii: usum autem ejus nec per peccatum, nec per gratiam impediri semper. De hac veritate tractatur late in materia de peccato originali et de gratia. Nunc autem

declaratur breviter. Primo quidem ex sacris Scripturis, et aliis testimoniis adductis, loquuntur enim de homine lapsa, et prout de facto operatur, aut male suo arbitrio, aut bene per divinam gratiam. Deinde ratione, quia peccatum originale non mutavit humanam naturam, quoad intrinsicam et essentialia, neque quoad proprietates connaturales intrinsicè ab illa manantes, quarum una est facultas libere operandi, quæ ratio convincit de libertate, quoad actum primum, quoad usum vero ejus sufficiunt quæ dicta sunt referendo secundum, et tertium errorem in n. 3 et 8.

21. *Solvitur ratio quam pro se afferre possent hæretici.*—Contra totam hanc doctrinam de libera hominis actione multa objiciunt hæretici ex sacra Scriptura et Patribus, præsertim ex Augustino, et ratione, sed quod ad rationem spectat, nulla est, quæ intrinsicè, et proprie attingat difficultatem; nisi quæ tacta est in quarto dicendi modo, n. 9, allato, quæ apud me non convincit, seclusa visione beata voluntatem necessitari ad sequendum dictamen intellectus, absolute et simpliciter loquendo. Quod ideo addo, quia ex vi unius prioris voluntatis subsecuto aliquo iudicio intellectus, potest voluntas necessitari ad alium actum extrinsece, ut ab electione; sed tunc salvatur libertas in priori actu, quem posset voluntas tollere etiam post subsecutum aliud iudicium, et ita simpliciter non necessitatur ad sequentem actum. Tamen, absolute loquendo, et non supposito aliquo actu libero voluntatis, non necessitatur voluntas ad sequendum iudicium intellectus, quantumvis practicum esse fingatur, de qua re dicendum est infra agendo de actibus voluntatis, et videri potest quod ad hanc rem attingimus, lib. 1, de Prædestin., c. 16, a n. 6.

22. *Explicantur loca Scripturæ non recte ab eis adducta.*—Deinde quod attinet ad Scripturam afferuntur illa loca, in quibus Deus dicitur immutare corda hominum, operari in nobis velle et perficere, trahere hominem, et similia. In quibus omnibus duo tantum observanda sunt. Primum, hæc omnia dici ratione excitantis, seu prævenientis gratiæ, præsertim efficaci, cujus tamen efficacia non consistit in necessitate inferenda, sed in hoc, quod Deus infinita sua sapientia, ita movet hominem, sicut scit esse opportunum, ut ipse consentiat, ita Augustinus, de Spir. et Litter., c. 34, et sæpissime contra Pelagium. Secundum est, in his locutionibus significari Deum esse principalem auctorem hujusmodi operum, non tamen ex-

cludi liberam cooperationem nostram, ut optime tractat Nazianzenus, orat. 30.

23. *Item loca Augustini.* — Tandem ex Augustino objici solent varia loca in quibus dicit hominem per peccatum amisisse libertatem, et factum esse servum peccati, et necessitatem peccandi, incurrisse. Sed in his et similibus est magna æquivocatio in nomine illo *libertatis*, quia non sumitur, ut significat indifferentiam in operando, sed ut significat carentiam cujusdam servitutis, ut latius, et commodius explicabo, sequenti sectione.

## SECTIO III.

*Quid sit esse liberum in humanis actibus, et quo modo a perfecto voluntario distinguatur.*

1. *Quid sit liberum in actu primo.* — Non movetur quæstio de deliberatione in actu primo, seu de facultate libera, quia non de potentiis, sed de actibus disputamus, quamvis ex his, quæ diximus, et quæ dicemus, constat hanc libertatem nihil aliud esse, quam vim quamdam operandi cum dominio, seu virtute ad suspendendum actum, etiam positus omnibus requisitis ad operandum, ut latius docui in *Metaphysica* quæ vis non est res distincta a voluntate, sed est naturalis perfectio ejus, quamvis oriatur ex perfectione intellectus: quomodo dici solet liberum arbitrium esse facultatem voluntatis et rationis, D. Thomas, 1, 2, q. 1, art. 1. Libertas autem actualis considerari potest vel in actu imperato, vel in actu elicitio: in priori nihil aliud est quam emanatio, seu denominatio actus imperati ab elicitio libero: in tantum enim actus imperatus est liber, in quantum ab efficacia actus elicitio liberi pendet, et ab illo quodammodo informatur moraliter.

2. *Liberum in actu secundo idem esse ac perfecte voluntarium qui putent.* — Tota ergo difficultas revocatur ad actum elicitum, quid in eo sit esse liberum, et quomodo se habeat ad voluntarium perfectum. In qua re multi theologi sentiunt nihil aliud esse actum esse liberum, quam esse perfecte voluntarium. Ita sentit Almainus, tract. 1, Moral., cap. 1, dicit enim illud esse perfecte voluntarium quod ita est in potestate operantis, ut positus omnibus requisitis ad agendum, possit ab illo fieri, et non fieri: in eadem sententia est Scotus, in 1, d. 2, q. 3, d. 10, quæst. unic., quodl. 16, art. 1, et 3, ubi docet Spiritum sanctum procedere libere, quamvis necessario producat, quia ni-

mirum perfecte voluntarie producitur. Sed consideranda est diversitas inter hos auctores, quamvis enim in hoc conveniant, quod liberum et voluntarium perfectum confundant, tamen diverso modo, nam Almainus non solum ad liberum, sed etiam ad perfectum voluntarium videtur requirere indifferentiam, et dominium actionis. Scotus autem neque ad voluntarium, neque ad liberum hoc requirit, sed solum quod procedat ex perfecta cognitione: atque idem sentit Henricus, quodl. 3, quæst. 17, et quodl. 6, q. 1, et quodl. 9, q. 5, circa fin., et in Summ., art. 6, q. 1, in quibus locis multa dicit obscure, quæ longum esset referre. Eidem sententiæ favet Durandus in 2, d. 24, ubi in q. 1, videtur liberum a necessario distinguere, tamen in q. 2, subdit aliud esse loqui de libertate absolute, aliud de libertate arbitrii, nam libertas arbitrii (inquit) excludit necessitatem, non tamen libertas absolute, nam si actio procedat ab intellectu et voluntate, hoc ipso libera est. Unde sentit liberum absolute dictum idem esse, quod voluntarium perfectum, quod magis declarat in d. 39, q. 3, et eandem fere doctrinam habet Bonaventura, in 2, dist. 25, art. 2, quæst. 2, insinuat Capreolus, ibi ad argumenta Henrici, cont. 1 concl., præsertim ad 5. Favet huic sententiæ D. Thomas, in 1, 2, quæst. 6, nam art. 2, ad ult. dicit voluntarium perfectum includere potestatem operandi, in quo favet opinioni Almaini, et idem sentit, quæst. 21, art. 2, et 1 p., quæst. 41, art. 2, et q. 83, art. 2, ad 3. Tandem, quæst. 10, de Potent., art. 2, ad 5, plane docet opinionem Scoti, et concludit Deum amare libere se ipsum, licet necessario. Atque hunc dicendi modum libenter amplectuntur hæretici hujus temporis, ut in modo loquendi doceant nos esse liberos, quia perfecte voluntarie operamur, quamvis re ipsa negent nos esse dominos nostrorum actuum.

3. Potest tamen fundari hæc opinio primo in modo loquendi sacræ Scripturæ, in qua persæpe ponitur voluntarium pro libero, et e contrario, et omnia, quæ voluntarie fiunt, censentur laude digna, Psalm. 53: *Voluntarie sacrificabo tibi*, id est, libere, teste Ambrosio, 2, de Fide, cap. 3, sic ad Hebræos, 10, *Voluntarie peccantibus nobis*, etc. Unde 2, Machabæorum, 1, *ut faciatis ejus voluntatem corde magno, et animo volenti*. Deuteronom., 12, Exod. 35, Paralip. 28, habentur similia testimonia, quæ frequentia sunt.

4. Secundo favent huic sententiæ nonnullæ locutiones Sanctorum difficiles. Damascenus,

l. 2, cap. 24: *Quod sponte fit, laudem et vituperationem comitem habet*, quæ est proprietas actionis liberæ, et idem habet Nyssenus, lib. 5 Philosophiæ, cap. 1, unde, c. 3, subdit, *voluntarium, et involuntarium in his quæ in potestate nostra sunt, consistunt*: dicuntur autem esse in potestate nostra, quæ sunt nostri arbitrii. Unde etiam Damascenus, lib. 3, c. 22, dicit voluntatem esse volitionem, ac liberum appetitum: sumit autem voluntatem pro actu, non pro potentia. Difficilius Augustinus, lib. de Nat. et Grat., cap. 46, cum objecisset voluntatis arbitrio privari eum, qui naturali necessitate constringitur, respondet absurde hoc dici, quia non privatur voluntate propter hujusmodi necessitatem; sentit ergo solum voluntarium, etiam si non opponatur necessario, esse liberum ea libertate, quæ ad peccandum sufficit, atque idem sentit in *Enchirid.*, c. 105, ubi habet illam vulgarem sententiam; *Aut voluntas non est, aut libera dicenda est*, idem lib. 5, de Civit., cap. 23 et 30, lib. de duabus Animabus, contr. Manich., cap. 10, lib. 1, *Retract.*, cap. 15, ubi voluntarium dicit esse *animi motum cogente nullo*, et statim subdit fere idem de libero. Idem sentit Anselmus, lib. de liber. Arb., ubi ad libertatem non requirit indifferentiam, sed potestatem volendi rectitudinem ipsam propter se. Bernardus etiam, lib. de Grat. et lib. Arb., definit voluntarium esse motum liberum, et serm. 81, in Cantica, et infra, *quod voluntarie fit, etiam si ex necessitate fiat, liberum est*.

5. Tertio possumus adjungere rationem, quia illa actio est libera, in qua homo se ipsum movet, ex perfecta advertentia rationis; sed hoc totum est de ratione voluntarii perfecti: ergo hæc duo idem sunt. Vel aliter ex Augustino; nam illud aliquis facit libere quod facit quia vult, et si nollet non faceret: ergo operatur libere, atque adeo idem sunt libere et voluntarie operari. Denique liber modus operandi est ultima perfectio rationalis appetitus, sed de ratione hujus appetitus est, ut voluntarie operetur, et de perfectione ejus est, ut operetur voluntarie: ergo perfectio hujus appetitus consistit in operatione perfecte voluntaria: ergo idem est operationem esse liberam, et esse perfecte voluntariam.

6. *Primum dubium in hac controversia.* — In hac quæstione multa continentur, quæ oportet distinguere, ut intelligamus, in quo possit esse controversia de re, in quo vero de modo loquendi, et ne conveniamus cum hæreticis, neque in re, neque in loquendi modo. Prima

quæstio maxime ad rem spectans est utrum in voluntate humana præter illum modum operandi ex perfecta cognitione et intrinseco, ac vitali impulsu per se ipsum volito (in quo ratio voluntarii consistit, ut supra dixi) sit etiam alia conditio operationis, quæ consistat in indifferentia, seu independentia a potentia indifferente, quæ potest agere et non agere.

7. Et in hoc sensu constat certa resolutio quæstionis ex dictis supra, sect. 1, num. 11, de qua etiam videri possunt tradita, lib. 1, de Auxiliis, a principio, et prologom. 1, de Gratia, scilicet in actibus humanis utramque conditionem reperiri: hoc enim sensu ostendimus esse de fide, esse in homine operationem liberam, non tantum coactioni, sed etiam necessitati oppositam. Ex quo plane sequitur has duas rationes voluntarii et liberi in prædicta significatione sumpti prout nunc illo utimur, esse distinctas saltem definitione et ratione formali, nam altera consistit solum in hoc, quod potentia se determinet ad suum actum, volendo ipsum per se ipsum; altera vero in hoc, quod actus dicat habitudinem ad potentiam, quæ potest agere et non agere, quæ duæ rationes plane diversæ sunt, et evidentius constabit infra, cum ostendemus illas esse separabiles, et unam posse augeri cum altera minuitur. Unde in hac prima quæstione nulla est controversia cum Catholicis, sed cum hæreticis, cum quibus jam actum est.

8. *Secundum dubium.* — Secunda quæstio esse potest, esto ratio libere sit distincta a ratione voluntarii, an necessario illam supponat, seu includat: non enim desunt theologi, qui dicant posse esse actionem liberam, quamvis non sit voluntaria. Sed isti ad summum loquantur de voluntario et libero indirecto, de quibus postea, nunc vero agimus de voluntario ac libero directo.

9. De quibus dicendum est actum liberum includere essentialiter rationem voluntarii, quæ videtur esse communis sententia, et probatur primo, quia liberum arbitrium formaliter: et essentialiter est voluntas: ergo actus liber per se, et ut elicitus a potentia libera essentialiter est elicitus a libero arbitrio: ergo intrinsece includit, quod sit voluntarius, nam hoc per se convenit actui a voluntate elicitio. Secundo sic declaratur, quia actus liber elicitur a potentia, quæ natura sua non est determinata ad unum: ergo necesse est ut ipsa se determinet ad suam operationem liberam: non potest autem se determinare nisi volendo talem operationem, quia intelligi non potest,